



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

Excerpta ex libro incerti auctoris de natura rerum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

Excerpta ex libro incerti
auctoris de natura rerum.

*De diversis generibus falconum siue acci-
pitrum, infirmitatibus & medicinis eorum;
& hoc secundum Aquilam Symmachum
& Theodotionem in epistola ad Ptole-
maum regem Ægypti.*

Excipitur ex libro incerti
auctoris de natura terrarum

De diversis generibus subterraneis sive
partibus mineralibus & medicinis terrarum
Et hoc tractatum a Johanne & Symonibus
Theophrastis in epistola ad Ptolemaeum
regem regum Aegypti

30



DE DIVERSIS GENERIBVS

FALCONVM SIVE ACCIPITRVM,
 infirmitatibus & medicinis eorum. &
 hoc secundum Aquilam Symmachum &
 Theodotionem in epistola directa ad Pro-
 lemaum regem Ægypti.

FALCONVM genera septem
 sunt: sicut dicunt Aquila
 Symmachus & Theodotion;
 qui utiq. scribunt Prolemæo
 regi Ægypti epistolam, in
 qua ad eius præcepta tractauerunt de aui-
 bus nobiles, quas dicimus aucupantes,
 secundum quod inuenire potuerunt in ve-
 terum scriptis. scribunt & in eadē epistola
 de medicinis dictarum auium. quæ omnia
 breuitatis causa compendioso sermone
 contraximus. Falconum viii. sunt genera.
 Primum quod appellatur lanarium: cuius
 duo sunt genera: vnum caput & rostrum
 grossa habet; pedes vt aquila: quod cum
 graui dolore & labore habilitatur ad aucu-

pandum. sed habitatum tantum secundo & tertio anno egregiū est in volatu. aliud genus lanarij staturæ minoris est, & ab omnibus vile habetur. Secundū genus falconū Peregrium dicitur, quod facile habitatur volatui. Tertium genus Montanum dicitur, & hoc asperius & subtilius est. *

..... Sextum genus Speruicum dicitur, quod fere habet similitudinem aquilæ; excepto eo quod in pedibus & alis & oculis * guætea assimilatur falconi. Septimum genus Britannicum est, & istud omnium auium aucupantium obtinet principatum: vt nec auis audeat coram eo aucupari, nec aliarū auium aliqua, ipsa desuper volitante, audeat volitare. Istud genus habet pedes grossos, crura nodosa, vngues crudeles, aspectum flammeum, oculos terribiles, caput & pectus grossum, juga alarum magna: qui & facillime habitantur ad volandum, & multum ac diu volare possunt; delicatissime pasci volunt; & tantum fere comedunt, quantum aquilæ. & hoc genus volucrum credimus quod superius aëriophilon vel aërium diximus. totam ergo naturam eius quære superius in littera A. cap. de ærio-

philone. Octauum genus est illud quod Herodius, vel vulgariter Giffardus dicitur. istud genus commune est cum genere ælyonis, & carius habetur, propter modera- mina cibi & vitæ. huius naturam superius quære plenius in littera E. in capitulo de Erodio. Tercõnali minimæ volucrum aucupantium sunt, pro sexu in natura sua ad aucupandum promptissimi. & hij quoque coniunguntur in genere falconum. Accipitrum autem quatuor sunt genera. Primum genus est corpore magnum, doma- bile, multum, oculis varijs & perlucidis, pede grosso, longis vnguibus, hilari vultu, deliciose comedēs, calidis auibus gaudens. omnes aues inuadit, nec aliquam timet. De isto totam naturã similiter descriptam quære superius in A littera, de volucris. in capitulo, de accipitre. Secundum genus accipitrum est, quod haliætum dicere possumus, minus primo genere. alas grossas habens secundum quantitatem corporis, pedes breues, oculos grossos magnos & obscuros. non cito mansuescit. & ideo plu- ribus odiosum. primo anno domationis parum valet. secundo plus. tertia muta- tione aucupat satis bene. Tertium genus

Cc ij

accipitris est Nifus. prauus quidem com-
paratione aliorum, sed tamen velox. cito
mansuescit, & delicate nutriri vult, & le-
uiter aucupatur. De Niso quære inferius
naturam totam in littera N. cap. de Niso.
Quartum genus Fragellum dicitur, quod
vulgariter Muscetum dicitur. hic multo
minor est Niso: sed colore consimilis. sicut
Nifus accipitri assimilatur, in dispositione
habitus & colore. auis est quæ cito man-
suescit. velox est ad volatum. leuiter au-
cupat, & deliciose nutriri vult. mutatio-
ne secunda vel tertia optimus est.

Igitur nobilium auium generibus & na-
turis discussis, de morbis & medicinis earū
deinceps differamus. & de infirmitatibus
capitis incipiamus. Si infirmitas in auibus
crescit in oculo, puluerē seminis feniculi,
& lac calidum mulieris immitte. Si præ se-
nectute obscuratus fuit, accipe * hīlefrū
& coque eum super nares vbi vertex con-
iungitur oculo ad nares. Si clausas nares
habuerit, accipe puluerē piperis & staphi-
sagriæ, & insuffla eis in naribus per vnam
fistulam pennæ: & postea fricabis solo pul-
uere staphisagriæ palatum eius. Si rheuma
in capite habuit, pone rutam iuxta nares

eius, & carnem quam comedit intinge in succo rutæ. Item allium obtusum cum vino per nares ei immitte, & in loco obscuro resideat tota die, & eum per vnum diem ieiunare permitte. Si pupillam habuit; accipe linguam eius & cum puluere staphisagriæ condito melle frica eam. Dabis ei butyrum comedere. Si dicta non valeant, puluis caulis desiccatae ad idem valet. Si vltra modum clamosus fuerit, accipe vespertilionem & piper tritum intus pone, & da ei comedere. Si vero aliam auem acceperis ad idem, non oberit. Qui nimium clamat, ouatus est sæpe interius. Si fastidiū habuerit, *furices viuas ei dari facias. Similiter & catellum in proximo natum antequam videat. Si cibum euomit frequenter, accipe *foramoniam in pondere quartæ partis oboli, & tantūdem cymini, & cūctis istis asperge eorum puluere carnes porcinas pingues & da aui in cibum. Si vero comedere non potest, accipe albuginem oui & in ea pone dictum puluerem, & ori eius iniice. Item ad idem, si cibum eijcit, accipe oua cruda & frange in lac caprinū: postea facias hoc totum decoqui, & da ter ad comedendum accipitri, & sanabitur. Si febres

habuerit, da ei succum * accunelie ter vel quater, & carnes gallinæ in cibum. vel istud. liga ei tibiam dextram fortiter & in medio cruris apparebit vena. & illam diligentissime minue. in eius crure quatuor sunt venæ; vna in anteriori parte; altera inferius; altera exterius; altera profundius super vnguem maiorem. poteris autem scire si auis febricitat, si alæ dependent & caput demissum teneat. tremit tanquam frigus ostēdat plumis. at cibum cum fastidio sumit & male tum * induerit. Si valde sitit, accipe puluerem caulis * leuistici & cannæ de anetho & feniculi & coque cum vino, & commisceas cochlear mellis & colaturam da ei bere, vel inijce ori eius. vel vna die carnem litam oleo rosarū frigido. Si felle laborat puluerem florum salicis sparge super cibum eius. alas ad solem de carne anseris. & si alæ pependerit, accipe de sanguine & pinguedine anseris. de sanguine frica eius alas ad solem. de carne pingui anseris da ei comedere. Item melius. accipe oleum laurinum, & laua ei alas. sub alis ascellas eius vnge. ad idem, succus saluiæ. Si alas guttosas habuerit, ederam terrestrem in aqua coque, & folia eius
coacta

cocta & bene contusa alis eius circumliga iuxta latera, & cibum eius in eadem aqua tinge. Idem si pedes gutturos habeat. Si tineæ comedant eius pennas, carnes hircinas comedat in aceto tinctas, & alas eius aceto caldo, & oleo laurino perfrica sæpius. Si pennam fractam extrahere volueris sine dolore, accipe sanguinem parui aliquius * gruile. vel sanguinẽ muris * ractis & vnge locum pennæ, & cadet. & postea ex melle ad magnam spissitudinẽ decocto, fac virgulam ad modum foraminis vbi penna stetit, & iniice foramini; & exhibit noua penna. Item succo herbæ papaueris calido perunge pennas eius, & inunge cibum eius eodem succo. Si os fractum habuerit in crure vel in ala, aloe calidũ simul liga & dimitte vna die & vna nocte. Item fimum galli in aceto coctum simul liga, & dimitte vna die & vna nocte. Si inquieta sit auis in pertica vel in manu gestantis, myrrham in aqua coque, & ex ipsa aqua asperge cor eius & inunge cibum eius vsq. nouies. Si infirmitate, quæ rapina dicitur, infirmetur, succo artemisiæ cibus eius intingatur. Item sanguine agni calido pedes eius perfrica, vel vino tepido, in quo de-

D d.

coctæ sint vriticæ, & in ipso vino cibum eius intinge. Si firmare non potest, fel galli da ei comedere, vel testudines albas decoctas. Si nimis laxatur, succum * iusquiami modicum da ei bibere, vel testudines albas decoctas. Si pediculos habet, accipe succum absinthij, vel aquam coctam in absinthio, & ad solem eo sedente infunde plumas eius & corpus per totum. Si lapidem in ventre nutrierit, da ei vnguentum comedere & butyrum. Ad idem. aloen herbam puluere apyæ inuolue cordibus pennarum auium, & da ei comedere. Sic poteris de omni medicina quæ datur auibus commodius facere. Qui accipitrē vult habere pinguem, det ei de carne bouina aut porcina, & hoc masculi. Qui vero vult habere macilentum, det ei gallinas iuuenes madefactas. Qui vero temperatum habere vult, det ei gallinas veteres. Qui vult habere eum expeditum in aucupando, faciat ei bonam vesicam gutturis, & includat eum in tenebris, cum lumine tamen modico, & alternis diebus aucupet. Si vis vt leporem vel cuniculum capiat, hoc ei doce in iuuentute, & liga gyros in cruribus eius prope pedes interiecto spatio vnus palmæ, & sine læsio-

ne capiet. Accipiter siluefter ieiunare permittatur multum, & mansuescet. In iuuentute aues nec nimis calide nec nimis frigide custodiantur. In locis vbi custodiuntur herbam mentam & saluiam semper habe. In folijs salicis, vel super ligna salicis aut abietis sedeat. De sanguine volucrum tenerarum vires multas sumit & audaciam & affectum aucupandi. Balneum aquæ frigidæ da ei. Ne multum contingas alas eius; ne alæ pendeant ex diuerso. Postremo ne tantorum auctorum Aquilæ Symmachi & Theodorionis documenta inter libros naturales * inelegantissime computata non curasse penitus videremur, ista quidem de libro auium nobilium & medicinis earum huic operi nostro duximus inserenda.

F I N I S.



